

A D N O T A T I O N E S.

1. *Betonica officinalis*. Quam hic sub *Bet. officinalis* nomine enumeramus speciem in horto nostro per annorum seriem observavimus. Ab indigena per Germaniam variis sub formis vulgari ejusdem nominis planta jam primo intuitu diversam se praebuit habitu graciliore, pseudoverticillis in caule saepius ramoso magis ab invicem distantibus, colore pallidore tam foliorum quam florum et seriore florendi tempore. Primis m. Octobris diebus in praeterito anno laete florentem habuimus, dum reliquae horti species et indigena sponte crescens jam plane emarcidae erant. Cum *B. officinalis* icon in Reichenbachii Icon. VIII. f. 952. e regione Parisiensi haec nostra optima convenit, quae icon a nullo quantum scio indigenae Florae auctore citatur. *Betonica danicam* a Millero quondam propositam speciem nostram indigenam habemus, de qua opulatis- simus ille cultor, ab anglica *B. off.* diversam esse et e semine per plures annos educatam constantem se praebuisse indicat. Variarum Europae regionum *Betonica officinalis* ut cultura examinetur necesse videtur.

2. Ex seminum indice h. Gotting. haec planta a. 1834 primum innotuit. In Walpersii Repertorio II. p. 776. sub *G. Juligna*, sphalmate in indice hujus libri repetito, reperies.

3. *Heuchera micrantha* nostra staminibus inclusis et stylis longe exsertis propriam sibi vindicare videtur tribum. Habitus *H. Americanae*. Petala purpurascencia spathulata acuta laciniis calycis obtusis paullo longiora, stamina his breviora. Styli duo longe exserti. Antherae quum haud rite sint evolutae forsitan potius status abnormis.

4. *Setaria*. Vulgatissimarum specierum nomina nostro inserimus indici ut moneamus easdem in hortis botanicis variis sub nominibus occurrere et justo plures distinctas esse species. Id certe mirum eandem speciem nunc prostratam nunc erectam crescere, quod non solum in agris sed etiam in horto observandum; species igitur ex hac variabili crescendi modo ortae ut *Panicum Weinmanni* R. Sch. et *P. reclinatum* Vill. plane delendae sunt, illud ad *S. glaucam*, hoc ad eandem vel ad *viridem* amandandum. *Panicum* et *Pennisetum paniculatum* Hort. erant *S. glauca*, *P. gongyloides* Hort. vero *S. viridis*, cujus formam graciliorem, spica breviora interrupta insignem in agro nostro collegimus, *Setaria tenacissima* et *fluitans* Hort. ad *S. verticillatam*, *Pennisetum typhoideum* Hort. denique ad *S. italicam* sic dictam muticam et *Panicum erigonum* ad vulgarem hujus speciei formam pertinebant.

5. *Sonchus*. Quaenam variarum *Sonchi* generis specierum certae sint fines cultura docebit. Indigenas prius sub *S. oleracei* nomine conjunctas species fructuum figura et sculptura nunc discernimus. Sed, si fides habenda est auctoribus et hi fructuum characteres mutabiles forent. Inter formas cultas, habitu inter se distinctas, alias habemus quae fructu cum *S. oleraceo* Wallrothii conveniunt, alias quae *S. fallacis* Wallr. fructus habitumque aemulantur. Cultura igitur erit inquirendum utrum duae species existant variabili partium vegetationis characteribus gaudentes, an duae tribus sint fructu distinctae, e speciebus pluribus varia vegetatione segregandis compositae. Tertiam tribum fructu et habitu aecedentem *S. palustris* format, pluresque tribus naturales e reliquis speciebus lignosis herbaceisque extruendae videntur.

*S. elongatus* Kze. in litt. Ut ab amicissimo auctore edoctus sum, ab ipso ad ripas fluminis Var prope Nicaeam collectus est et basi foliorum elongata, corollis pallidis apice rubentibus lividisve tantopere recedere videbatur, ut proprio nomine designare et in hortum Lipsiensem introducere sed inter species rite definitas nondum collocare statueret. Primum a. 1844 ex horto Marburgensi acceptum colui et Wallrothii *S. oleracei* var. *γ. lacerum* habui, sed statura, foliorum forma et corollarum colore paullo diversum. Praeterito anno semina ex horto Lipsiensi culta plantam eandem praebuerunt, colore autem corollarum lutescente luteo. Ingentem copiam *Sonchorum* indigenarum perlustranti diversissimae occurrerunt foliorum formae, sed rarissime status ille corollarum pallidior, nec conjunctus cum foliis dissectis.

Quem sub *S. Royleani* nomine ex hortis accepimus fructus indole iterum cum *oleraceo* Wallr. convenit, foliis vero tenuius dissectis, segmentis acutius et crebrius dentatis, saepiusque deorsum curvatis, basi que foliorum multo minus ampla recedit ab *elongato*. Similem sed multo validiorem insuper coluimus *Sonchum* foliis supra lucentibus, segmentis longioribus deorsum curvatis, terminall elongato attenuato, dentibus lobisque subspinescenti-acutatis insignem, sed fructu non minus quam in reliquis conformi.

Ad *S. asperum* vero spectat *S. longifolius* Trev., cujus fructus fere duplo majores ac in illo et margine tenuiore cingente instructi, ceterum eodem modo laeves tribusque lincis elevatis basi apiceque conniventibus insculpti sunt. Patriam hujus plantae ignoramus. E seminibus Capensibus „*Lactucae species*” insignitulis aliam formam eduximus, similem quidem et fructu convenientem, sed variis notis discedentem et frigidis